

Id est, in abditissimum cubiculum, quod miserorum est, timidorumque perfugium, in quod aut non ingrediuntur exploratores hostes, aut certè postremum. Hæc verò, quæ cubicula dicuntur, latebræ sunt, et subterraneæ foveæ, quas obscurat caligo, neque in illas hostis propter loci fœtorem libenter irrupit. Josephus subterraneam vocat cellam. Hunc dicendi modum, nescio quid olet proverbiale, qui adhiberi solet ad explicandum in summo periculo summum timorem. Sic Michæas filius Jenla ad Achab statim capite vigesimo secundo versiculo vigesimo quinto: *Visurus es in die illâ, quando ingredieris cubiculum intra cubiculum, ut abscondaris.* Pro cubiculo, Hebr. est, *cheder*, quod aliquid occultum significat, penetrale puta et adytum, locum denique ad latendum idoneum.

VERS. 31. — ECCE AUDIVIMUS QUOD REGES DOMUS ISRAEL CLEMENTES SINT. Ingenio oportet truculento et barbaro fuerint reges alii, quando reges Israel, qui non adeo fuere clementes, ut non gravia aliquando dederint crudelitatis exempla, visi tamen fuerint clementes et humani. Illorum igitur clementia confirmavit Syrorum animos, ut benè sperarent de salute et vitâ Benadad. Quare statuerunt regis Achab tentare animum, et explorare an ab illo impetrare possint, ut vitam penè exanimato regi condonet, cum alioqui illi, ut præsentem urgebant angustiam, pereundum esset.

PONAMUS ITAQUE SACCOS IN LUMBIS NOSTRIS, ET FUNICULOS IN CAPITIBUS NOSTRIS. Hic habitus supplicum est, et eorum qui ad misericordiam alios inflectere student. Ita putat Josephus libro octavo Antiquit. capite quarto, ubi dicit antiquum esse Syris morem in supplicando, ut induantur saccis et restibus capita redimant. Sanè usitatum esse ut supplices, sicut etiam qui lugent et capite damnantur, caput operiant, multa probant. Coronari supplices dixit Tertullianus de Coronâ capite septimo: *Erant, inquit, supplices coronarii apud veteres.* Sed hi Syri, qui pro regis sui capite laborant, coronant caput suum, non olivâ quam gestare supplices solent, sed restibus, qui habitus mœstorum est, et eorum qui se aliquid admisisse capitale fatentur. Est autem usitatum et rerum naturæ maximè conveniens, ut qui orant veniam, statum præ se ferant sordidum, miserandum, ut se quidvis subire ab altero paratos non dubiis signis fateantur. Ideo cum oramus, manus conserimus conjungimusque, quasi ligatæ forent, admisisse nos aliquid dicimus propter quod manus malorum operum

instrumenta ligari debeant. Sic docuit Nicolaus Papa ad consultationes Bulgarorum: *Quia in Evangelio, inquit, reproborum ligari manus et pedes reperiuntur, quid aliud isti agunt, qui manus suas quodammodo ligant, nisi Domino quodammodo dicant: Domine, ne manus meas ligari præcipias, ut mittas in tenebras exteriores, quoniam ecce ego jam eas ligavi, et ecce in flagella paratus sum.* Ad hunc modum aliæ supplicum ceremoniæ explicari possunt, et, meo iudicio, debent. Incurvant victi ante victorem hostem cervicem et dorsum, quasi jugum accepturi, et onus quod victor imponere voluerit; hoc modo jugum et onus à cervice et dorso deprecantes procumbunt humi, osculantur terram ab hoste calcatam, quasi ab hoste calcandi; quod victi à victoribus sæpè patiuntur, ut hoc miserabili spectaculo placati hostes cætera omittant crudelitatis exempla. Ad hunc igitur modum Syri saccos induunt, servile nimirum indumentum, et aptum animi penitentis indicium, ut ostendant se jam superiora damnare consilia, et velle impositum à domino servile subire ministerium. Circumdant caput funiculis, ac restibus, ex sparteâ, aut juncea, aut vili aliqua materiâ contextis, ut ostendant deberi sibi restim et laqueum, qui insertus collo spiritum intra fauces includat. Aut certè, quia illa corona imponi per ludibrium solet fatuorum aut sceleratorum capiti, ideò hanc Syri subeunt ignominiam, ut majorem fugiant. Voluerunt Ægyptii, ut auctor est Philo in Flaccum, parum à principio, insultare Agrippæ regi, et illum ignominiosis quasi stupidum et bardum exagitare conviciis. Quam ad rem insanum quemdam hominem Carabam nomine regis loco supponunt, et ejus caput papyraceo, id est, junceo, seu palustri diademate coronant, eodem, opinor, modo quo nunc coronati legationem supplicem obierunt Syri.

VERS. 32. — SERVUS TUUS BENADAD DICIT: VIVAT, ORO TE, ANIMA MEA. Hæc summa legationis est, quâ rex paulò ante supra modum inflatus, usque adeo subitâ rerum inclinatione se demittit, ut servum sese offerat, vitæ tantum possessione contentus. Hic est horum verborum brevis atque germanus sensus. Quem sic Josephus explicat: *illi induti saccos et restibus capita redimiti, qui prisceus apud Syros supplicandi mos fuit, Achabum adeunt, et salutis tantum gratiam petere Adadam significant, dedititium ejus in perpetuum futurum.*

SI ADHUC VIVIT, FRATER MEUS EST. Putabat Achab cum aliis plurimis ipsum quoque regem interiisse, neque de illius vitâ ac fortunâ ullum videbatur cepisse consilium, quasi omnis eâ de re foret deliberatio sublata. Quare responsum dedit legatis neque præmeditatum antea, neque cum viris communicatum, cum quibus de re tantâ prius actum oportuit. Quare non illum servum, sed fratrem appellat, non inferioris utique conditionis virum. Quo verbo illi plusquam sperare poterat, concessit. Benignum hoc responsum acceperunt legati pro auspiciato omine; meliora sibi in posterum polliciti, apertè dicunt in vivis esse regem, quem Achab ad se deduci jussit, sublatumque in currum loco fratris habuit. Porro ex usu Scripturæ, qui amici sunt, aut sociali fœdere conjuncti, fratres se mutuo salutant. Sic Hiram Salomonem appellat fratrem supra, cap. 9, v. 13; et Judæi à Romanis Machab. lib. 1, cap. 14, v. 41, fratres appellantur. (1)

VERS. 34. — QUI DIXIT EI: CIVITATES, QUAS TULIT PATER MEUS A PATRE TUO, REDDAM; ET PLATEAS FAC TIBI IN DAMASCO, SICUT FECIT PATER MEUS IN SAMARIA (2). Magnum accepit ab Achab,

(1) VERS. 35. — FESTINANTES RAPUERUNT VERBUM EX ORE EJUS. Hebræus: *Festinaverunt et rapuerunt, num ipse esset.* Vel potius: *Et miscentes verba ejus cum suis, dixerunt: Fraterne tus est Benadad?* Quasi scilicet illi, ut audire Achabum de Benadado loquentem fratrem suum appellare, reputarint, minus quam pro opinione hominem invisum esse victori. Ex hoc responso prosperum omen duxere, nec excidere passi lætum illud: *Frater meus*, à rege prolatum, sciscitanti sunt, an volens prudensque, et infelicem principem miseratus id pronuntiasset. Sed interpretum plures reddunt planius: *Festinarunt*, et arripuerunt illud ab ipso. Collegerunt avidè verbum, quod regi exciderat. Pronius id nobis videtur, et magis Vulgatæ ac Septuaginta coherere. Cernis hic morem principum amicorum et fœderatorum, qui se fratris nomine appellabant: reges subditi et tributarii filios se ac subditos profitebantur. Achaz hoc se nomine submittit, verba ad Theglathphalasarum faciens. (Calmet.)

(2) Innuit facilè Benadad urbes, quas superior Syriæ rex Baasæ regi Israelis eripuerat. Baasam autem patrem Achabi appellat, reputans, quemadmodum in regno illi successerat, Ita pariter eodem patre natum esse. Nihil enim erat, cur Benadad scire teneretur genealogiam Achabi, neque quibus vicibus post Baasam regni illius successio mutata fuerit.

ET PLATEAS FAC TIBI IN DAMASCO, SICUT FECIT PATER MEUS IN SAMARIA. Interpretum quidam reddunt Hebræum: *Facies tibi vicos in Damasco.* Exponunt alii de vallo, vel munitionibus, quibus prohiberentur Syri ab aditu in regionem Israeliticam vicissim autem Israelitis pateret ingressus in ditionem Syriacam. Porro David præsidia, vel copias in nonnullis Syriæ urbi-

sibique indebitum officium Benadad: quare ut illi censi posset non ingratus, magna promittit, nempe civitates omnes, quas ex Israeliticâ ditione pater sibi usurpaverat. Quæ porro illæ civitates fuerint Scriptura tacet; ex earum numero videtur fuisse Aphec, quia, ut diximus, ad Israelitarum sortem pertinebat, et tamen nunc à Syris tenebatur. Plateam promittit in Damasco. Quid hoc fuerit, aut quis ex illâ concessione Israelitarum honos et commoditas, obscurum est. Jus hoc videtur regium, atque ideò videtur Benadad regni secum habere voluisse consortem illum, cui acceptum refert non regnum solum, sed vitæ quoque reliquam usuram. Quid enim aliud est in Damasco, id est, in totius Syriæ metropoli, platearum jus et usum concedere? Sunt autem plateæ fora quædam, in quibus res proponuntur venales, ex quibus magna ad platearum dominos proveniunt emolumenta. Hoc autem jus quoddam videtur regium, aut regio proximum. Si autem ex rebus venditis vectigalia concessit, verisimile est ibi etiam ex Israeliticâ gente concessisse iudices, qui jura dicerent, et controversias negotiorum in eo rerum commercio componerent.

PEPIGIT ERGO FŒDUS, ET DIMISIT EUM. Accepit conditionem Achab, cumque fœdus illud juramento firmasset legitime concepto, dimissus est liber Benadad, rebus ex suo magis quam ex Israelitarum usu repositus. Neque videtur quicquam præstitisse postea libertatem nactus, quæ prius obligatâ persanctè fide prolixè promiserat. Neque enim reddidit Ramoth Galaad, quæ ab Israelitis fuerat erepta, pro quâ iterum Achab eidem Benadad bellum intulit, in quo cecidit à Syro quodam sagittario confossus. Quâ in re facilè quis intelliget neque fidem à Benadad, neque amicitiam fœdus fuisse servatum.

VERS. 35. — TUNC VIR QUIDAM DE FILIIS PROPHETARUM DIXIT AD SOCIUM SUUM IN SERMONE DO-

bus locaverat: *Posuit David præsidium in Syriâ Damasci*; locaverat et in Idumæâ. Philisthæi, Samuele rerum potente, initio regni Saulis, quam multis in locis stationes constituerant! *Stationes Philistinorum.* Idem, inquit, permisit Benadad, ut ab Achabo præstaretur in urbe Damasco, vel in locis adjacentibus.

EGO FŒDERATUS RECEDAM A TE. Auctor Vulgatæ, alique post illum plures, verba textûs explicant ceu partem petitionis seu conditionis, quam Benadad offerebat; sed textus Hebræus accipiendus est de responso Achabi ad Benadadum: *Et ego in fœdere dimittam te.* Si integrâ fide hæc omnia reddideris, liberum te remittam, et habebō fœderatum. (Calmet.)

MINI: PERCUTE ME. Quis fuerit hic propheta Scriptura silet; sed videtur fuisse Michæas filius Jemla, quia aliquid hic regi Achab durum et infaustum edicit, quo nomine statim capite vigesimo secundo Michæam accusat. Hic itaque Michæas, seu quicumque est alius, Dei nomine jubet socio suo, qui tunc illi casu aderat, ut ipsum percutiat, plagâ nempe ejusmodi, quæ sanguinem eliciat, ut eo modo deformatus ac sanguinolentus occurrat regi, et non solum verbis, sed etiam specie miserabili ac fœdâ illi cædem, deformitatemque denuntiet. Est autem usitatum, ut propheta in seipsis tanquam in symbolo expriment eventum, quem aliis à Domino prædicunt. Sic Isaias nudus nuditatem Ægyptiis, et ignominiam portendit capite vigesimo. Jeremias ligatus catenis nationibus quibusdam minatur servitutem capite vigesimo septimo. Ezechiel Judæis captivitatem et transmirationem enuntiat assumens sibi peregrinantis speciem, capite 12. Quid plura? Etiam in Testamento novo exempla non desunt. Actor. capite vigesimo primo Agabus propheta ligatis manibus ac pedibus Paulo vincula et carceres vaticinatus est. Sic ergo modò propheta sanguine ac pulvere fœdatus, cædem Achab regi et mortem annuntiat ignominie plenam.

VERS. 36. — QUIA NOLUISTI AUDIRE VOCEM DOMINI, ECCE RECEDES A ME, ET PERCUTIET TE LEO (1). Noluit socius, etiamsi audisset id præceptum fuisse à Domino, manus injicere violentas prophetae, cui propheta ipse non minus intonuit vaticinium horribile, quam esset postea denuntiaturus Achab. Dixit enim contempti Dei

(1) Audi S. Chrysost. orat. 1 contra Judæos, sub initium: Qui percussit prophetam, evasit incolumis; qui pepercit, dedit pœnas, nimirum ut intelligeres, in jussis divinis non oportere curiosum esse, examinareque rerum, quæ præcipiuntur naturam, sed nihil aliud quam obtemperare. Etenim ne prior ille veritus parceret prophetae, non dixit illi simpliciter: *Percute me*, sed addidit: *In verbo Domini*, hoc est, Deus præcipit, ne quære ulterius. Rex est, qui hanc præscribit legem; reverere jubentis auctoritatem, summamque cum animi promptitudine obtempera. At id facere non sustinuit, eoque pœnas dedit gravissimas, suoque exemplo secuturos adhortans, ut quicquid præceperit Deus, per omnia obtemperarent, moremque gererent in posterum.

R. Salomon et Lyran. volunt prophetae hujus sanguinem pro populi Israelitici peccatis satisfecisse, ne cum Achabo periret cap. ult.; sed populus ille victus est, et pro eo satisfacere istiusmodi plagâ non potuit nec voluit propheta. (Corn. à Lap.)

præcepti leonem futurum esse vindicem, cujus unguibus lacerandus esset inobedientiae reus. Et reverà ita accidit: missus enim à Domino leo, percussit illum, et licet Scriptura non dicat hominem occisum, sed tantum à leone percussum, ipsa tamen belluæ ferocitas mortem potius indicat quam plagam non lethalem. Quomodo hæc, quæ levis videtur esse culpa, tam gravi sit mulctata supplicio, eoque non injusto, diximus supra, capite 13, ubi egimus de propheta, quem interfecit leo, cum tamen illius culpa non videretur gravis.

VERS. 38. — ABIIIT ERGO PROPHETA, ET OCCURRIT REGI IN VIA, ET MUTAVIT ASPERSIONE PULVERIS OS ET OCULOS SUOS (1). Cum ab alio magis obsequente vulnus accepisset propheta, et sanguine oblevisset faciem, et illam insperso vulnere fœdasset, ne cognosceretur à rege, qui fortassè minus patienter narrationem audisset totam, occurrit illi velatâ facie, et quasi inductâ alienâ personâ. Hebræi dicunt linteo quoque ligasse faciem, quomodo facere solent qui vulnus acceperunt, ut facie partim velatâ, partim fœdatâ sanguine ac pulvere regis oculis alienam objiceret speciem. Et cum historiam aliam esset commentus, in quâ seipsum rex imprudens et incautus agnosceret, damnaretque, detraxit alienam personam, et ostendit suam. Ac tandem dixit eandem regi Achab, et ejus populo subeundam esse pœnam, quam subire debuit Benadad et Syrorum populus, nisi in illos Achab nimis egisset negligenter et molliter. Eodem artificio usus est Nathan cum adulterii atque homicidii accusavit Davidem, qui callidè deceptus aut instructus, in alienâ personâ condemnavit suam.

Sed quodnam tantum peccatum hoc fuit Achab, quod tam diro supplicio expiari debuit? Hebræi dicunt illud regi Achab de Benadad datum esse præceptum, quod olim Saûli de Amalec. Et quemadmodum justè à regno excidit Saûl, quia manus ab Amalec vindices abstulit, sic etiam Achab, quia incolumem Benadad abire permisit, suæ lenitatis, aut potius inertie pœnas dedit. Sed hanc rationem optimè confutat Abulensis q. 16, tum quia de hoc præcepto nihil habemus ex Scripturâ; tum etiam, quia si illud à Domino habuisset Achab, certus fuisset in ipsius manus vivum venisse Benadad, quod tamen ignorasse ex eo constat, quia ipse rogavit à servis an illorum dominus vive-

(1) Hebræus ad litteram: *Mutavit se in velo*, quod posuit super oculos suos, vel *pulvere*, quem aspersit super oculos suos. (Calmet.)

ret Benadad; ac proinde ipse sentit puniri magis inertiam et molliem Achab, quam grave aliquod scelus violati præcepti.

Mihi non omninò displicet Hebræorum sententia, quam probant Dionysius, Lyra et Rupertus lib. 5, cap. 13. Neque illa ex sacro textu obscure colligitur. Dixit enim vir Dei ad Achab supra, vers. 8: *Quia dixerunt Syri: Deus montium est Dominus, et non est Deus vallium, dabo omnem multitudinem grandem in manu tuâ*. Quæ verba grave indicant esse Syrorum scelus, atque ideò Dominus multitudinem illam potestati ac gladio subjecit Achab, ut de tantâ blasphemâ regi subditisque communi pœnas exigeret. Neque ignorare debuit, aut etiam potuit Achab, quid agere ex divino præcepto debuerit, cum ideò dixerit Deus multitudinem illam esse subjugandam, quia in tam impiam vocem sacrilegam linguam acuisset. (1)

(1) VERS. 40. — HOC EST JUDICIUM TUUM, QUOD IPSE DECREVISTI. Tuam tibi mortis sententiam indixisti. Persimili artificio usus est Nathan, exprobraturus Davidi adulterium et cædem; et mulier Theeuitis à Joabo missa, ut revocationem Absalomi impetraret. Docent Hebræi, Deum Achabo de Syris non absimile quid imperasse, quod olim injunxerat Saûli de Amalecitis. Delendus ab illo erat gentis illius rex, subigendus populus, ultio de illis expetenda, pro sacrilegio et blasphemâ, quibus ausi sunt tribuere Deo Israelis imperium montium, ut ad agrum non perveniret. Deus qui promiserat Achabo de toto hostium exercitu victoriam, consulendus erat utique quid de victis agendum foret. (Calmet.)

VERS. 42. — VIRUM DIGNUM MORTE. Hebræus: *Dimisisti virum anathematis mei de manu*, Benadadum, quem ego neci destinavi, et quem à te delendum decrevi. Sunt qui reddant textum: *Virum retium meorum*; virum scilicet, qui in retia mea inciderat, qui mihi tanquam præda venatori erat; tu verò ad arbitrium de illo decrevisti, et liberum meo injussu dimisisti. (Calmet.)

VIRUM DIGNUM MORTE. Benadad regem Syriæ, qui reus erat mortis tum ob continuum odium et bellum contra Israelitas, tum præcipue ob blasphemiam, quâ dixit se esse Deum montium, non vallium; hæc enim valde Deum irritavit, ut patet v. 28. Ita Hebræi, Rupert., Lyran., Dion. et alii.

ERIT ANIMA TUA PRO ANIMA EJUS. Occideris pro Benadad, quem occidere debuisti.

ET POPULUS TUUS PRO POPULO EJUS OCCIDETUR pro Syris Benadad subjectis, quos occidere debuit. Ita reipsâ contigit, ut audiemus cap. ult.

Est hoc exemplum neglectæ justitiæ, justæque vindictæ notandum, atque infingendum mentibus regum et judicum: *Homicida es, eò quòd hostem dimiseris*, ait S. Chrysost. loco citato. (Corn. à Lap.)

Ce roi de Syrie était véritablement la figure du démon. L'un était l'ennemi visible des Israélites, et l'autre est d'une manière invisible

VERS. 43. — REVERSUS IGITUR EST REX ISRAEL IN DOMUM SUAM, AUDIRE CONTEMNENS. Delirum fortassè, atque insanum judicarat prophetam, delirus ipse atque insanus Achab; et quasi verba forent à sano sensu vacua, audire noluit, id est, eo loco habuit ac si non audisset. Quare ac si nihil jam superesset negotii, et res esset cum Syro honestè utiliterque composita, reversus est domum, neque præter datam ab Benadad fidem de servando fœdere, cautionem aliam accepit.

ET FURIBUNDUS VENIT IN SAMARIAM. Qui lætus redire debuit de victoriâ, et grato in omnes, atque hilari vultu, furoris rediit, et insanie plenus, ut magis illum victum ab imbelli hoste, quam de hoste potentissimo victorem putares. Vox una tantum prophetae, id est, Dei, qui per prophetam alloquebatur, omne turbavit gaudium, quod capi de victoriâ debuit, et fructum ademit, quem captat animus maximè sollicitus et mœstus. Quod accidit quotidie his qui violatâ fide ac religione ea consequuntur, quæ hominum opinione maxima possentur. Quorum Deus vim omnem adimit, consentit aut exhilarare animum, aut gloriam conciliare novam, aut antiquam augere.

Josephus lib. 8 Antiq. cap. 8, sic exarsisse dicit Achab, ut statim jussit in vincula compingi prophetam, quod tradit Historia Scholastica, Dionysius et Hugo. Neque hoc mihi videtur abs re, tum quia idem fecerunt sub hoc tempore alii reges, ut Asa lib. 2 Paralipomenon cap. 16, vers. 10; et Baasa supra cap. 16, vers. 7, qui propter vaticinium non dissimile prophetam occidit. Et ipse Achab hoc

celui de tous les Chrétiens. Comme ce premier feignait de se vouloir réconcilier avec le peuple de Dieu, quoiqu'il n'eût effectivement que la haine dans le cœur, ce dernier aussi affecte souvent de flatter les âmes par de fausses espérances des biens temporels et d'une fortune passagère. Mais de même que la fin de toutes ces belles promesses de Bénadad, fut que non seulement il ne tint aucune parole au roi d'Israël, et lui refusa les villes qu'il lui avait enlevées, mais que, dans la guerre qu'ils eurent ensuite, il donna un ordre formel contre sa personne, voulant le faire tuer par ses officiers, ainsi la fin ordinaire de toutes les espérances dont le roi du siècle amuse ceux qui le suivent, est la perte de leur salut. Heureux sont ceux qui savent mieux profiter des salutaires avertissements que leur donnent sur ce sujet leurs pasteurs, que ne fit ce prince impie, lorsqu'au lieu d'écouter avec une humble frayeur la menace que lui faisait le prophète de la part de Dieu, il méprisa ce qu'il lui disait, et s'en retourna plein de fureur dans Samarie. (Sacy.)

ipsum fecisse traditur contra Michæam filium Jemla infra, cap. 22, vers. 27. Et facit valdè ad hanc Josephi sententiam, quòd Achab eodem capite vers. 8, dicit unum apud se remansisse Domini prophetam, eum nimirum quem ipse sciebat esse in vinculis; alioqui nullum in suo regno solutum, et liberum esse pateretur regnante Jezabele, quæ et ipsa odio prophetas insectabatur hostili, et ad illorum cædem conjugem nimis obsequentem et credulum inflammabat. Ex quo etiam mihi fit

CAPUT XXI.

1. Post verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth Jezrahelitæ, quæ erat in Jezrahel, juxta palatium Achab regis Samariæ.

2. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina est et propè domum meam, daboque tibi pro eà vineam meliorem, aut, si commodius tibi putas, argenti pretium, quantum digna est.

3. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.

4. Venit ergo Achab in domum suam indignans, et frendens super verbo quod locutus fuerat ad eum Naboth Jezrahelites, dicens: Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum. Et, projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem, et non comedit panem.

5. Ingressa est autem ad eum Jezabel uxor sua, dixitque ei: Quid est hoc unde anima tua contristata est? et quare non comedis panem?

6. Qui respondit ei: Locutus sum Naboth Jezrahelitæ, et dixi ei: Da mihi vineam tuam, accepta pecuniâ; aut, si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro eà; et ille ait: Non dabo tibi vineam meam.

7. Dixit ergo ad eum Jezabel uxor ejus: Grandis auctoritatis es, et benè regis regnum Israel! Surge, et comede panem, et æquo animo esto; ego dabo tibi vineam Naboth Jezrahelitæ.

8. Scripsit itaque litteras ex nomine Achab, et signavit eas annulo ejus, et misit ad majores natu et optimates qui erant in civitate ejus et habitabant cum Naboth,

maximè probable, illum à quo Achab hoc durum accepit vaticinium, fuisse Michæam, illum videlicet qui unus supererat è multis, quemque ideò remansisse noverat Achab, quia sciebat illum è vinculis evolare non potuisse. Quod putat Josephus lib. 8 Antiquit. capite 10, qui dicit in vinculis tunc esse Michæam, quando de repetendâ Ramoth Galaad suscepta fuit deliberatio non aliam ob causam, nisi quia injucunda nuntiabat.

CHAPITRE XXI.

1. Après ces événements, dans le même temps, Naboth de Jezraël avait à lui, dans Jezraël même, une vigne près du palais d'Achab, roi de Samarie.

2. Et Achab lui dit: Donnez-moi votre vigne, afin que je puisse faire un jardin potager, parce qu'elle est proche de ma maison; et je vous en donnerai une meilleure pour celle-là, ou, si cela vous accomode mieux, je vous la paierai, en argent, le prix qu'elle vaut.

3. Naboth lui répondit: Dieu me garde de vous donner l'héritage de mes pères.

4. Achab revint donc chez lui, tout en colère et plein de fureur à cause de cette parole de Naboth de Jezraël, qui lui avait dit: Je ne vous donnerai point l'héritage de mes pères; et, se jetant sur son lit, il se tourna du côté de la muraille, et ne mangea point.

5. Jézabel, sa femme, étant venue le trouver, lui dit: Qu'est-ce donc que cela? d'où vous vient cette tristesse, et pourquoi ne mangez-vous point?

6. Il lui répondit: J'ai parlé à Naboth de Jezraël, et je lui ai dit: Donnez-moi votre vigne, et je vous en donnerai l'argent, ou, si vous l'aimez mieux, je vous en donnerai une meilleure pour celle-là; et il m'a répondu: Je ne vous donnerai point ma vigne.

7. Jézabel, sa femme, lui dit: Votre autorité est grande, et vous gouvernez bien le royaume d'Israël! Levez-vous, mangez, et ayez l'esprit en repos; je me charge de vous faire avoir la vigne de Naboth de Jezraël.

8. C'est pourquoi elle écrivit des lettres au nom d'Achab, qu'elle cacheta du cachet du roi, et les envoya aux anciens et aux premiers de la ville de Naboth, qui demeuraient avec lui.

9. Litterarum autem hæc erat sententia: Prædicate jejunium, et sedere facite Naboth inter primos populi,

10. Et submitte duos viros filios Belial contra eum, et falsum testimonium dicant: Benedixit Deum et regem. Et educate eum et lapidate, sicque moriatur.

11. Fecerunt ergo cives ejus majores natu et optimates, qui habitabant cum eo in urbe, sicut præceperat eis Jezabel, et sicut scriptum erat in litteris quas miserat ad eos.

12. Prædicaverunt jejunium, et sedere fecerunt Naboth inter primos populi.

13. Et adductis duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos sedere contra eum; at illi, scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum et regem. Quamobrem eduxerunt eum extra civitatem, et lapidibus interfecerunt.

14. Miseruntque ad Jezabel, dicentes: Lapidatus est Naboth, et mortuus est.

15. Factum est autem, cum audisset Jezabel lapidatum Naboth et mortuum, locuta est ad Achab: Surge, et posside vineam Naboth Jezrahelitæ, qui noluit tibi acquiescere et dare eam accepta pecuniâ; non enim vivit Naboth, sed mortuus est.

16. Quod cum audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, et descendebat in vineam Naboth Jezrahelitæ ut possideret eam.

17. Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens:

18. Surge, et descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria; ecce ad vineam Naboth descendit ut possideat eam:

19. Et loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus: Occidisti, insuper et possedisti. Et post hæc addes: Hæc dicit Dominus: In loco hoc in quo linxerunt eanes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.

20. Et ait Achab ad Eliam: Num invenisti me inimicum tibi? Qui dixit: Inveni, eò quòd venundatus sis ut faceres malum in conspectu Domini.

9. Ces lettres étaient conçues en ces termes: Publiez un jeûne, et faites asseoir Naboth entre les premiers du peuple,

10. Et gagnez contre lui deux enfants de Bélial, qui rendent un faux témoignage en disant: Naboth a blasphémé contre Dieu et contre le roi. Qu'on le mène hors de la ville; qu'il soit lapidé et mis à mort.

11. Les anciens et les premiers de la ville de Naboth, qui demeuraient avec lui, firent ce que Jézabel leur avait commandé, et ce que portait la lettre qu'elle leur avait envoyée.

12. Ils publièrent un jeûne, et firent asseoir Naboth entre les premiers du peuple.

13. Et, ayant fait venir deux enfants du diable, ils les firent asseoir vis-à-vis de lui; et ces deux enfants du diable portèrent témoignage contre lui devant l'assemblée, en disant: Naboth a blasphémé contre Dieu et le roi. Et, ensuite de ce témoignage, ils le firent mener hors de la ville, et le lapidèrent.

14. Et ils envoyèrent à Jézabel, pour lui dire: Naboth a été lapidé, et il est mort.

15. Jézabel ayant appris que Naboth avait été lapidé et qu'il était mort, vint dire à Achab: Levez-vous, et mettez-vous en possession de la vigne de Naboth de Jezraël, qui n'a pas voulu se rendre à votre désir, ni vous la donner pour le prix qu'elle valait; car Naboth n'est plus en vie, mais il est mort, comme criminel de lèse majesté, et son bien est confisqué à votre profit.

16. Achab, ayant appris la mort de Naboth, alla aussitôt dans la vigne de Naboth de Jezraël pour en prendre possession.

17. Le Seigneur parla donc à Elie de Thesbé, et lui dit:

18. Allez, et descendez au-devant d'Achab, roi d'Israël, qui est dans Samarie; car le voilà qui va dans la vigne de Naboth pour en prendre possession.

19. Et vous lui parlerez en ces termes: Voici ce que dit le Seigneur: Vous avez tué, et de plus vous avez usurpé! Et vous lui direz ensuite: Voici ce que dit le Seigneur: Dans ce même lieu où les chiens ont léché le sang de Naboth, ils lécheront aussi votre sang.

20. Et Achab dit à Elie: En quoi m'avez-vous trouvé votre ennemi pour me faire de telles menaces? Elie lui répondit: Je l'ai trouvé en ce que vous vous êtes vendu pour faire le mal aux yeux du Seigneur. C'est pourquoi écoutez la parole du Seigneur.